

non esse committendum, aut existimet omne, quod voluptatem affert, esse optandum: alia est ignorantia *circumstantiarum* sive καθ' ἑκάστην, ὅτι οἷς καὶ περὶ αὐτῆς περὶ ζῆς, singularium, in quibus & circa quæ actio versatur.

8. Circumstantias Philosophus enumerat septem: *agens, id quod agitur, objectum* sive id, *circa quod versatur actio, id in quo* aliquid agitur, *instrumentum, finem, modum*. Univerſas hasce circumstantias conjunctim sumtas qui simul ac semel ignoraverit, egregiè sit stolidus, minusque prudentiæ, quàm lapis habeat, oportet.

9. Nec faciliè agens seipsum ignoraverit, cum in ipso sit actionis principium. Hinc qui se alicujus rei, cujus convincitur, authorem & caput esse nescit, aut nimium obliviosus aut vanitatis vix expers erit.

10. Id quod agitur, quandoque ignorasse quis putandus est, ut cum in dicendo se lapsos esse ajunt, vel nescivisse id, quod protulerunt, esse inter arcana: Sicut Æschylus, Tragicus scriptor reprehensus aliquando & ductus ad Areopagum, quod arcana quædam de sacris choreis publicaverit, se defendit, quod nesciverit ea inter arcana contineri. Huc pertinet, si quis velit monstrare telum, illud emittat.

11. Ratione objecti peccaretur, si proprium quis filium oterimeret ratus esse hostem, quod fecisse ferunt Meropen.

12. Potest & instrumentum aliquem ignorantem tenere, sive ἀψυχον illud sit, sive ἐμψυχον, ut si quis lanceæ acutissimam cuspidem habentis aciem retusam esse putaret, eâque transfoderet aliquem, vel si alicujus securis è manubrio missa læthale vulnus à tergo stanti infligeret. Cui ignorantia divini sapientia de asyis & refugii urbibus quondam prospexerat, Numer. 35. vers. 11. & 22. Huc etiam referatur lex de bove Cornupetâ. Exod. 21. vers. 28.

13. Circumstantia in quo *locum* continet & *tempus*. Ex loci ignorantia erraret, si quis alicubi stricto gladio incederet, quod tamen ut ne fieret, privilegiis esset cautum. Error circa tempus committeretur, si tempore luctus propter Princi-